Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sum pharaonem. sive etiam observet ab eo animas de potestate
eius conamur eripere. et est nobis in disputatione luctamen. Non
statim prima fronte ingredi debemus ad ultima quaestionum
loca. sed occurrendum nobis est adversario et occurrendum ad aquas
suas. Aquae enim suae sunt auctores gentilium philosophorum;
ibi ergo nobis primo disputare volentibus occurrendum est.
ut ipsos arguamus et ipsos errare doceamus. Post hoc
iam ingrediendum nobis est et ad interiore certaminis;
dicit enim et dominus; nisi quis prius alligaverit fortem.
non potest introire in domum eius et vasa eius diripere.,
Prius ergo nobis alligandus est fortis et quaestionis vinculis
constringendus. et tunc introeundum ad diripienda vasa
eius et liberandas animas quas deceptionis fraude
possederat; quod cum saepius fecerimus et steterimus.
contra ipsum steterimus eo modo quo apostolus dicit.
State ergo succincti lumbos vestros in veritate; et
iterum; state in domino et viriliter agite., Cum ergo hoc modo
steterimus adversum ipsum. ille artifex antiquus et
callidus et tam vinci se simulabit et decedere. si forte
per hoc neglegentiores nos efficiat ad certamen. sed et
penitentem simulabit. et deprecabitur nos discedere
quidem sed non longe discedere., Vult nos esse sibi
aliqua ex parte vicinos. vult nos a suis finibus non lon
ge discedere.; Sed nos nisi ab eo longius recedamus